



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Libri pertinentes ad Seminarium, & societatem Oblatorum Sancti Ambrosij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Præfectus Hospitalis Mendicantium.
 Præfectus fabricæ Sancti Sebatiani.
 Præfectus deputatus Capucinarum.
 Præfectus hospitalis Pietatis.
 Præfecti inferiores ibidem ecclesiastici sex.
 Præfecti hospitalis maioris duo.
 Præfectus, & deputati hospitij sex.
 Testes Synodales Prouinciales.
 Testes Synodales Diocesani.
 Punctatores collegiatarum.
 Punctatores funeralium, & festorum.

Libri pertinentes ad Seminarium, & societatem Oblatorum Sancti Ambrosij.

Libri iurii.

Habeat librum iurium Seminarij, in quo hæc descripta sint extense: Erectio & institutio Seminarij. Vniones quæcumq; eidem factæ. Literæ confirmationis Apostolicæ, & aliorum priuilegiorum. Inuentarium bonorum & iurium. Constitutiones & regulæ.

Libri actorum.

Habeat item librum actorum congregationis Seminarij. In eo sint etiam deputationes Rectorum, ac deputatorum pro tempore, tam spiritalium, quam temporalium. Iudex etiam aliorum quorumcumq; officialium.

Lib. Clericorum adscriptorum.

Habeat item librum Clericorum Seminario adscriptorum. In eo describantur dietim qui admissi fuerint, cum conditionibus quibus admissi sunt, scilicet. Si quidquam annuatim soluant. Qualis causa, & quando data. Clerici status breuis, scilicet. Nomen, & Cognomen eius, & patris. Aetas clerici. Patriæ habitationisve locus, Parochia, Plebs, porta ve, si in vrbe est. Qualitas literarum dimissoriarum, si alienæ diocesis est. Ordo quem habet. Beneficium, si quod habet. Talenta, & progressiones cuiusq; in studijs, & moribus.

Similes libros habeat in omnibus fere pro societate Oblatorum S. Ambrosij.

Libri examinum in genere.

Habeat librum non authenticum; in quo describantur examina, quæcumque fiunt in genere ad cognoscendam scientiam alicuius sine certa approbatione, ad aliquod Beneficium, vel ad ordines.

Describantur in hoc libro nomina eorum qui examini interfuerunt, & dies examinis, & status examinati breuis, scilicet.

Nomen, cognomē, habitatio, Parochia, & Plebs, seu Porta, Aetas, Ordo, Beneficium, & scientia demum.

Index huic libro sit, cum nominibus eorum qui examinantur.

Libri Sacrarum Ordinationum.

Habeat Cancellarius librum Sacrarum Ordinationum authenticum.

In quo deferibat dietim, quæcumque pertinent ad celebrationem sacrarum ordinationum, etiam quæ priuatim fiunt, hoc ordine.

Publicationem edicti ordinationis habendæ cum indictione ordinationis. Presentationum promouendorum.

Delegationem processus informatiui, & publicationis nominum, ac etiam tituli Patrimonij, & relationis transmissionem.

Assignmentem loci & temporis exercitiorum suscipientibus ordines sacros.

Exhibitionem testimoniorum & dimissoriarum ab ipsis ordinandis factam.

Delectum examinatorum.

Examen.

Approbationem, vel reiectionem ex votis secretis examinatorum, eum expressione causæ reiectionis, quæ expressa sit in tractatione inter illos habita palam ante vota secreta.

Recognitionem generalem admissorum in examine, quò ad testimonia & dimissorias exhibitæ, & informationes de illis sumptas ex officio, & alias eorum qualitates.

Deliberationem Archiepiscopi super interstitio anni præscripto à Concilio Tridentino.

Lectionem literarum apostolicarum Pij II.